

§. 21.

Cæterum in dictis potentiis activa finita, & passiva naturalis, quoniam tanquam accidentia certo prædicamento includuntur, Potentiæ Prædicamentales inde audiunt. Cui generi jam opponitur Potentia Transcendentalis; sic appellata, quod propter suam generalitatem, qua diversorum prædicamentorum rebus competit, ipsa prædicamenta transcendat.

§. 22.

Quæ Potentia transcendentalis una cum Actu, itidem Transcendentali ad discrimen Prædicamentalis dicto, attributum entis conjunctum dat.

§. 23.

Est autem, atque dicitur Potentia Transcendentalis, quicquid perficitur vel actuatur ab altero, aut saltem perfici vel actuari potest. Sic ut proinde non tantum creatura quævis respectu Dei, sed & in rebus creatis una respectu alterius, omnisque substantia prædicamentalis respectu accidentium, & unum accidens respectu alterius, à quo perficitur aut perfici potest, rationem potentiæ transcendentalis habeat.

A 2

§. 24. Ta-